

De haematemesi : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Carolus Guilelmus Lincke.

Contributors

Lincke, Karl Wilhelm.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. augusti Petschii, 1830.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/khxxcam3>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
I A E M A T E M E S I.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
RATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILIELMA,
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS

DIE XV. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXX.

H. L. Q. S.

PUBLICAE DEFENSURUS EST

AUCTOR
CAROLUS GUILIELMUS LINCKE,
SCHOENEBEKO-PARTHENOPOLITANUS.

OPPONENTIBUS:

E. RUDOLPH, MED. ET CHIR. DD.,


C. UHLEMANN, MED. ET CHIR. CAND.

F. REISHAUS, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

✓



Digitized by the Internet Archive
in 2016

V I R O

AMPLISSIMO, AESTUMATISSIMO

AVUNCULO DILECTISSIMO

C. ARNDT,

CHIRURGO APUD BEROLINENSES MERITISSIMO

H A S

STUDIORUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIUNCULA.

Si tantā est morbi alicujus antiquitas, quanta haematemesis, si de periculo, quod minitatur aegrotantibus, etiamnum omnibus est persuasum: facile suspicaberis, medicos peritissimos atque sagacissimos summa cum diligentia in ejus naturam et causas inquisivisse, ut medela inveniatur idonea. Minime igitur tironis est, nova proponere axiomata, ad corrigendas et evertendas virorum experientissimorum sententias. Quibus reputatis, in eo mihi acquiescendum esse putavi, ut praecepta gravissima, quae ediderunt *Hippocrates, Fr. Hoffmann, Vogel, Marcus, P. Frank, Reil, Haase, Sprengel* et alii, colligerem et in libelli formam redigerem.

Praeter opinionem enim avocatus a placido studiorum cursu et ad legionem, in qua chirurgus milito, redire jussus, modo id meditari potui, ut quam celerrime, non ut bene scriberem. Haec intueamini quaeso, Lectores benevoli, et, quantum poteritis, excusatione quam maxime, dignum me judicetis.

MORBI NOMEN ET INDOLES.

Vox haematemesis, cui synonyma habentur: vomitus cruentus, gastrorrhagia, oesophagorrhagia, melaena, morbus niger *Hippocratis*, fluxus spleneticus, sanguinis denotat profluvium e vasis ventriculi, oesophagi, intestini tenuis, aut viscerum hisce finitimorum, quo sanguis aut per os (vomitu), aut per anum simul profunditur. De indole hujus morbi singularis inde ab *Hippocratis* aevo diversissimae viguerunt sententiae; nuperiores demum acutam et chronicam ejus formam distinxerunt, et *Marcus* in aprico posuit, eum morbum, qui melaena nomen gerat, in casibus longe plurimis non formam morbi chronici propriam, sed lienis inflammationem sistere, ad cujus pathognomonica signa vomitus cruentus pertineat ¹⁾. *Hippocrates* ²⁾ multique medicorum antiquiorum, auctoritatem ejus secuti, morbi nigri sedem in hepate posuerunt materiasque vomitu rejectas pro bile inspissata habuerunt. Plures seriorum seculorum medici a lienis aegrotatione hunc morbum deduxerunt, ita ut sanguinem nigrum per vasa brevia evacuari putaverint; alii causam in hepatis morbis, praesertim obstructionibus ejus, collocant. Tam hi quam

¹⁾ *Marcus*, Entwurf einer speciellen Therapie. Nürnberg. 1810. Bd. II. pag. 361.

²⁾ *Hippocrates* περί νοσων. Lib. II. Sect. 5.

illī eatenus haud dubie recte judicant, quatenus omnia, quae sanguinis arteriae hepaticae et lienalis circuitum per viscerum dictorum substantiam impediunt aut praegravant, affluxum sanguinis uberiores ad vasa ventriculi, ergo congestiones et effusiones in ventriculi cavitatem excitare valent. Cujusque haemorrhagiae, ergo haematemesi etiam triplex est natura vel arteriosa, vel venosa, vel mixta.

a) *Indolem haematemesi arteriosam* praecipue *Portal* ¹⁾ et *Reil* ²⁾ defendunt; uterque haemorrhagiam istam oriri dicunt nimio sanguinis impetu in arterias ventriculi coronarias, qui effusionem producat per anastomosin extremorum ramulorum arteriarum ventriculi.

b) Quod attinet *naturam haematemesi venosam*, *Muzel* lienem post mortem invenit scirrhum et attenuatum eamque materiam in ventriculum exprimi posse vidit, quae morbo vigente reddebatur vomitu. *Stuckeley* ³⁾ in morbo nigro evenire dicit, ut vena lienalis sanguinem cum vena coronaria ventriculi majore et vena gastroëpiploica sinistra communice, unde effundatur in ventriculum; imo sanguinem, ait, ex ipsa vena portarum in coronariam ventriculi minorem, e gastroëpiploica sinistra in gastroëpiploicam dextram proficisci posse et vice versa; hisce fieri rebus, ut haud raro materia atra, rejectae similis, in vena mesenterica inveniatur. *Sprengel* ⁴⁾

¹⁾ Sammlung auserles. Abhandl. zum Gebrauch für prakt. Aerzte. Bd. VIII. pag. 22.

²⁾ Ebendes. pag. 145.

³⁾ Vid. *Sprengel*, Handbuch d. Pathologie Th. III. (1810). pag. 22.

⁴⁾ A. a. O. pag. 22. 23.

culpandam censet tarditatem, qua circuitus sanguinis fiat per venam portarum et lienalem, nec non eximiam sanguinis, hydrogenio et carbogenio abundantis, quantitatem in liene; unde lividitatem et solubilitatem sanguinis lienis deducit. *Petrus Frank*¹⁾ morbum esse systematis venosi, verbis disertis asserit.

c) Sunt demum, qui mixtam haematemesis indolem vindicent. *Haase*²⁾ vomitum cruentum, ait, tum praecipue arteriosum esse, cum morbus subito, sine antesignanis, affectionem graviores organorum abdominalium supra dictorum significantibus, irruat; cum symptoma exhibeat splenitidis, hepatitidis et metastaticarum sanguinis congestionum haemorrhoidalium et menstrualium, quibus in casibus inter morbos illos et haematemesis minime tantum temporis spatium intercedat, quantum requiratur, ut venarum varices ad eum gradum excolantur, quo sanguis effundatur. Idem alibi haec proponit: indoles vomitus cruenti venosa mihi videtur, ubi morbus, jamdudum statu anomalo viscerum abdominalium imprimis hepatis et lienis praegresso, cum phaenomenis tali conditioni consentaneis apparet, febris et inflammationis topicae symptomatibus destituitur. Introitus ita fit, ut stagnationibus, indurationibus, scirrhis dictorum organorum partim venae contendantur eoque modo expansiones efficiantur, quae ad venarum origines usque reagent sanguinisque profusionem inducunt; partim sanguinis circuitus normalis per viscera abdominalia cohibea-

¹⁾ Epitome. Tom. V.

²⁾ Erkenntniss u. Cur der chronischen Krankheiten. Bd. I. pag. 394.

tur, sanguinis venae portarum introitus disturbetur, factaque oppletione trunci venae portarum, stagnationes, varices, rupturae, haemorrhagiae venosae exoriantur.

DIAGNOSIS.

Inter signa haematemesis diagnostica haec fere sunt referenda:

a) *Dispositio, habitus corporis.*

b) *Prodromi*, qui plerumque satis diu morbum antecedunt, raro deficiunt ¹⁾; longiores esse solent in chronica haematemesi, quam acuta, quae splenitidem, hepatitidem, gastritidem etc. repraesentat. — Quodsi vomitus cruentus metastasibus aliarum haemorrhagiarum excitatur, breviores apparent antesignani, longiores autem, si morbis organicis viscerum abdominalium pedetentim conflatur. Prodromorum ratio haec est: dysphonia incidit universalis cum anorexia, facies pallescit, pressio, gravitas, tensio, ardor regionis epigastricae et hypochondriorum, signa icterica, dolor spasticus subter costis spuriis, qui cibis ingestis compressoque ventriculo intenditur, similiaque oboriuntur; criteria etiam intumescen-
tiae lienis aut hepatis animadvertuntur, alvus irregularis, utplurimum obstructa, halitus oris foetidus, pulsus parvus, vix manifestus, plerumque intermittens est.

Quo propius haemorrhagia imminet, eo lucu-

¹⁾ *P. Frank*, Epitome. Tom. V.

Tissot, de morbo nigro, scirrhis viscerum, cephalaea, inoculatione variolarum et irritabilitate. Epistola ad illustr. *Zimmermann*. Lausanne 1770. pag. 45 — 46.

lentiora symptomata congestionum sanguinis ad ventriculum et irritabilitatis turbatae canalis alimentarii apparent, ut calor urens in ventris cavitate, pulsationis fortioris sensatio in eadem, tendor, plenitudo, pressio obtusa in dextro vel sinistro hypochondrio, sapor sanguinolentus, demum horrores alterno aestu excepti, varia symptomata nervosa, nausea, vomitum, singultus, ructus aquosi, aciduli, nonnunquam acidi, imo corrosivi humoris, qui uberiores salivae affluxum magnumque bulimiae gradum excitat, languor ingens, ad animi deliquia evector.

Nutrimenta assumpta tendorem et oppressionem praecordiorum movent, jejunia bulimiam inimicissimam inferunt; extremitates frigescunt, sudores gelidi saepe prorumpunt. *Autenrieth*¹⁾ et *Walther*²⁾ haec symptomata effici dicunt hydrogenisatione sanguinis lienalis, qui ad venam portarum et jecur deductus, partim consistentiam indolemque debitam impertiat bili, partim ob ventriculi et lienis per vasa brevia commercium, succo gastrico conficiendo impenditur, quem praeter accessum sanguinis lienis hydrogenati multo magis oxydatum esse normali, imo adeo acidum et corrosivum evadere, putant.

c) *Haemorrhagia ipsa*. Inter symptomata congestionis internae sanguis in ventriculi cavitate effunditur, inflationem, tendorem, oppressionem regionis epigastricae, nauseam vomitumque causatur. — Quodsi haemorrhagia primitiva in tenuibus oritur intestinis, sanguinis atri, coagulati excretio per anum simul exstat. Vomitus ipse nausea, ventriculi dolo-

¹⁾ Handbuch der empirischen menschl. Physiologie. Tübing. 1802. Th. II. pag. 76 — 79.

²⁾ Physiologie der Menschen 1807. Bd. I. p. 223.

ribus, saepe animi deliquiis stipatur adeoque est continuus, ut omnia ventriculi contenta sine discrimine rejiciantur.

Indoles sanguinis differt: quodsi enim haematemesis est arteriosa vomitusque paulo post secretionem exoritur, sanguis merus, rubicundus, laeti coloris atque lividus apparet; sin haematemesis venosa exstat vomitusque demum longius post tempus sequitur secretionem, sanguis ater, carbonicus, putridus, multifariam mutatus redditur. Primis vomitionibus insimul contenta ventriculi et superioris intestinorum partis eructantur, quo fit, ut sanguis rejectus speciem singularem, a norma alienam, obtineat.

Non minus sanguinis *quantitas* discrepare solet, modo enim aliquot unciae, modo plures librae evomuntur, quod observarunt *Whytt* ¹⁾, *Portal* ²⁾, *P. Frank* ³⁾ *Henke* ⁴⁾ et alii.

Finite sanguinis evacuatione, quae per intervalla fieri consuevit, aegroti ventris affectiones aliquantum levatas sentiunt, sed magnum conqueruntur languorem. Si profusior sanguinis copia reddita est, omnia depletionis symptomata in conspectum prodeunt, morteque prohibita, facillime morbi cachectici, ut hydropes, tabes etc. nascuntur.

¹⁾ Sämmtliche zur pract. Arzneik. gehör. Schriften a. dem Engl. übers. Leipzig 1771. p. 390.

²⁾ A. a. O. p. 27.

³⁾ Epitome. Tom. V.

⁴⁾ Handbuch d. speciell. Pathologie. Berlin 1800. Bd. II. pag. 163.

CONDITIONES ANALOGAE.

A gastrorrhagia sequentes conditiones rite sunt distinguendae:

a) *Haematemesis spuria*, cui locus esse potest:
α) in haemorrhagiis narium et oris; quum facilis sit diagnosis, prolixiorem expositionem omittam. —
β) In haemoptysi; quae signis multis et evidentibus discernitur, nempe tussi, secreatu et pectoris affectionibus, defectu symptomatum et difficultatum gastricarum, prodromis singularibus, aegrotationem pulmonum, non ventriculi et abdominis innuentibus, minori quantitate sanguinis spumosi, laete rubicundi, defectu materiarum in ventriculo contentarum, dispositione quadam ad haemoptysin, denique aegrotorum aetate, siquidem haemoptoë utplurimum hominibus junioribus, haematemesis autem adultis et aetate provectoribus supervenit. γ) In recens natis; quandoque enim accidit, ut infantuli sugendo sanguinem e mammis maternis eliciant eumque revomant.

b) *Haematemesis simulata*. Homines interdum, morbum simulaturi, consulto sanguinem, vel materias coloris similis devorant, quae vel per os, vel per anum rejiciuntur. At vero aegrotantium examen, causarum exploratio, defectus omnium symptomatum haematemesi peculiarium et analysis materiarum suspectarum, facile de diagnosi certiores nos reddere solent.

DECURSUS ET EXITUS.

Haematemesis decursus haud exiguam mutabilitatem offert. Si semel apparuit, semper fere per

intervalla aut longiora aut breviora revertitur; plures accessiones eodem die possunt oriri. Morbi moram variam esse, novimus: primus ejus insultus sanguinis jactura mortem inferre potest, plerumque vero aegrotantes ei superstites sunt; non destituimur exemplis, quibus haematemesis per menses, imo per annos, interpositis nimirum intervallis exstiterit.

Exitus eodem modo, quo decursus et mora, discrepat. Quodsi contingit, ut sanguinis stagnationes in hepate aut liene resolvantur, vel haemorrhagiae suppressae, imprimis menstrua et haemorrhoides restituantur, vel aliae causae submoveantur, morbus radicitus potest sanari. Saepius autem primo insultu, sanguinis nimirum damno et virium inanitione, vel morbis secundariis, ut tabe, hydrope etc. vitam exstinguit.

VISA REPERTA.

In cadaveribus hominum isto morbo exstinctorum haec reperiuntur:

a) Mirus sanguinis defectus in partibus interioribus, praesertim vena portarum totaque cava inferiori.

b) Variæ abnormitates viscerum abdominalium, quippe quae modo temefacta, modo collapsa et attenuata deprehenduntur; hepar et lien semper contrariam offerunt conditionem; quodsi enim lien parvus et durus, jecur tumefactum apparet ac vice versa. Plerumque autem testibus *Morgagni* ¹⁾, *P.*

¹⁾ De sedibus et causis morbor. Tom II. p. 109.

Frank ¹⁾, *Fried. Hoffmann* ²⁾, *Johnstone* et *Glisson*, *Peyer* et *Portal* ³⁾ hepar peramplum, lipomatibus obsitum, parenchyma ejus album et degeneratum, aut pallidum, cinereum, tuberculis ulceratis obsessum, reperitur. Lien non nimis magnus, externe concrementis corneis obtectus, subinde durus apparet, ut vix cultro possit dissecari. Ventriculus atro sanguine refertus, quandoque callosus et nigris maculis notatus, tunica ejus interna atro-rubicunda, aut nigra existere consuevit. Saepius in ventriculi membranis maculae observantur nigrae, quibus compressis materia illa atra extricari potest. Aliis in exemplis ventriculus inflammatus, vasa ejus velut infarcta apparent; idem interdum in ventriculo non tantum, sed intestinis quoque animadvertitur. Intestina expansa, materiis atris, piceis, tenaciter adhaerentibus impleta, tunica duodeni villosa maculis nigris obsita, deprehenduntur. Vasa abdominis quoad expansiones multifariam mutata cernuntur: arteria ventriculi coronaria sinistra adeo extensa, ut superet amplitudinem reliquorum arteriae coeliacae ramorum, arteriae scilicet hepaticae et lienalis; vasa brevia ad pollicis crassitiem amplificata, venae meseraicae et mesocolicae ad intestini tenuioris diametrum expansae, passim varicibus magnis, atro sanguine scatentibus, obsessae. In ventris cavitate persaepe larga colluvies seri flavi invenitur.

¹⁾ Epitome pag. 209.

²⁾ Medicin. rat. systema. Tom. II. pag. 216.

³⁾ cf. *Reil* a. a. O. pag. 142.

AETIOLOGIA.

Priusquam causas haematemesis remotas afferam, de proxima haemorrhagiarum causa nonnulla praemittenda mihi videntur. Sanguinis enim profusio e vasis hisce modis fieri potest:

a. *Diapedesi*; jam *Pet. Frank* ¹⁾ sanguinis secretionem evenire judicavit, ubi haematemesis vicariam sistat haemorrhagiam, in hominibus nempe succulentis, bene nutritis, si incitamenta simul subsint, quae ventriculum et tubum intestinale afficiant.

b. *Anastomosi* et *paralysi* (si qua existit; cf. *Rudolphi*: *Grundriss der Physiologie*. B. I.); hanc originem praecipue agnoscit haematemesis chronica, ubi sanguinis stagnationes, aut scorbutus, aliave mala exstant.

c. *Rhexi*, ubi vasorum rupturae causis internis, v. g. nimio sanguinis impetu, inducuntur.

d. *Diaeresi*, ubi vasorum continuas causis mechanicis externis, v. g. vulneribus, laeditur.

e. *Diabrosi*, si materiae acres, causticae, ut sanies, vel venena corrosiva, in ventriculum ingesta, vasorum parietes destruunt.

Causae praedisponentes.

a. *Aetas media*. Plerumque morbus homines inter tricesimum et quinquagesimum vitae annum adoritur; rarius, quod exempla docent, juniores et seniores infestantur ²⁾.

b. *Sexus*

¹⁾ Epitome pag. 206.

²⁾ *P. Frank* L. c. pag. 193.

b. *Sexus potior*, quippe cui frequentiores sint sanguinis stagnationes in ventris visceribus, quam sexui sequiori.

c. *Constitutio atrabilaris*, quae corporis habitu gracili laxo, temperamento cholero, colore cutis icterico, capillitio nigro, vultu torvo, melancholico, affectionibus hypochondriacis, intemperie nervorum, imprimis plexuum abdominalium, annulis coeruleis oculos ambientibus, viscerum abdominalium vitiis, flatulentia, dyspepsia, alvo tarda, dolorificis ventris sensationibus, bulimia, praecordiorum oppressione similibusque se manifestat.

d. *Morbi praegressi*, ut febres intermittentes, quibus superstites sunt placentae febriles, splenitis aut hepatitis male soluta, haemorrhoides anormales etc.

e. *Vitae genus et opificium*; ut abusus potuum calidorum, spirituosorum, calefacientium, vita sedentaria.

Causae occasionales.

Omnia huc pertinent momenta, quae et universum systema vasorum calefaciunt et incitamentum locale in ventriculum exserunt; ista quidem facilius haematemesin acutam, quam chronicam excitare solent. Teste Stark ¹⁾ morbus interdum producit frigore intenso, aestum ingentem secuto, quippe quo vasa sanguifera corporis expansa subito constringantur, itaque stimulum praeternaturalem experiantur sanguinemque secernant; quare haematemesin Julio mense saepius se observasse

¹⁾ Handb. z. Erkenntniss u. Heilung innerer Krankheiten, Jena 1810. Th. II. p. 384.

tradit. Conferunt etiam domicilia humida insalubria, subterranea, aër palustris, constitutio atmosphaerae putrida epidemica ¹⁾. Vomitus cruentus chronicus praecipue iis exitatur injuriis, quae metastases congestionum, vel aliarum haemorrhagiarum ad ventriculum efficiunt, ut mensium suppressione, pedum refrigeriis inducta, catameniorum cessatione, imo morborum exanthematicorum repercussione ²⁾; neque minus vitiis organicis hepatis, lienis, ventriculi: indurationibus nimirum, physconiiis et similibus. Denique causae locales, tam mechanicae quam chemicae vomitum cruentum evocare possunt, ut deglutitum vitrum, spinae piscium, assulae ossium, hirudines et vermes ventriculo insidentes, rupturae vasorum ventriculi, aneurysmata et varices eorum, scirrhus et carcinoma ventriculi, ulcerationes viscerum finitimorum, ut hepatis, venena corrosiva, inprimis arsenicum, hydrargyrum muriaticum corrosivum et praecipitatum album, plura vegetabilia acriora atque corrosiva.

MORBI DIVISIONES.

Praeter divisionem haematemesis supra memoratam, in acutam scilicet atque chronicam, pathologicae alias constituunt, quae magis a differentiis accidentalibus desumuntur. Sunt enim:

a) *haematemesis simplex*, si morbus haemorrhagiam mere vicariam sistit et subitis metastasibus efficitur.

¹⁾ *Friedr. Hoffmann*, med. rat. syst. Tom. IV. Sect. I. Cap. 3. p. 70.

²⁾ *P. Frank* a. a. O. §. 211.

b) *Haematemesis composita*, quae cum vitiis abdominalibus supra recensitis, cum scorbuto, haemorrhagia petechiali, haemorrhoidibus aut catameniiis suppressis, hectice, hydrothorace, aut hydrope ascite consociata apparet.

c) *Haematemesis typica*, quae nonnunquam periodica accedens, haemorrhoidum aut menstruum vices agit ¹⁾).

d) *Haematemesis atypica*, quae incertis temporibus reverti solet.

e) *Haematemesis vicaria et non vicaria*.

De haematemese spuria et simulata jam supra disserui.

PROGNOSIS.

Generatim praedictio infausta auguranda est. Hippocrates aliique priscorum saeculorum medici haematemesein absolute letiferam existimabant, veruntamen haud periculosior esse videtur, quam alium partium nobiliorum haemorrhagiae. Ut praedictio ab omni parte firmetur, haec momenta respiciantur necesse est:

a) *Haemorrhagiae indoles*; quodsi erethismus vasorum sanguinem reddentium, haemorrhagiis repente suppressis inductus, subest, itaque vitia organica viscerum abdominalium graviora desiderantur, praesagium laetius habendum est, quam si contraria locum habent, vel paralysis, scorbutus, haemorrhoea petechialis, aut similia exstant.

b) *Causarum ratio*; quodsi haemorrhagia sup-

¹⁾ Sagar, system. morborum. p. 290.

pressa, quam instaurare licet, vel causae locales, quae submoveri queunt, morbo ansam praebe-
runt, prognosin faustiores augurari oportet, quam
si vitia in organorum abdominalium fabrica existunt;
verum etiam haec rerum est conditio, nonnullas
admittit exceptiones: *P. Frank* ¹⁾ casum enarrat,
quo restitutis catameniis minime cederet morbus;
Stark ²⁾ virum haematemese subito vidit extinctum,
cujus ventriculus, facta cadaveris sectione, vermibus
exesus apparuit.

c) *Copia sanguinis rejecti*; quae quo largior,
eo majus periculum imminet, eo graviores morbi
secundarii, ut tabes et hydrops, metuendi sunt.
P. Frank prognosin quam maxime pendere dicit a
sanguinis quantitate et violentia, qua vomatur.

d) *Aetas, sexus et corporis constitutio*. Aetate
provectiori, quae annos excessit quadragenarios,
haematemesis funestior esse solet, quam in priori-
bus vitae periodis; eadem plerumque inimicior
est sexui potiori, quam sequiori; typica benignior
arbitranda est, quam atypica. *Reil* ³⁾ duo exempla
notatu dignissima, a *Kaemmer* et *Cardano* desumta,
apponit, in quorum uno mulier male habebat, quo-
ties haematemesis supprimebatur, in altero foemina
quaedam vitae annum nonagesimum sextum assecuta
est, quae inde ab anno tricesimo sexto vomitu cru-
ento quotannis infestabatur. Denique constitutio
corporis sanguinea prosperiorem eventum sperari
jubet, quam atrabilaris.

¹⁾ *P. Frank*, a. a. O. pag. 212.

²⁾ *Stark*, a. a. O.

³⁾ *Reil* a. a. O. pag. 139.

e) *Complicationes.* Scorbutus, haemorrhoea petechialis, hydrops, tabes, tympanites, vitia fabricae, ulcerationes aliaeque destructiones, exitum ambiguum, ne dicam funestum, augurantur.

CURATIO.

Medendi indicationibus his satisfaciendum est:

- A. *Causae remotae debellantur.*
- B. *Haematemesis ipsa compescatur.*
- C. *Convalescentia rite gubernetur et morbi secundarii, si qui exorti sint, tollantur.*

Primae indicationi, si jam exstat vomitus cruentus, raro satisfacere licet; plerumque causarum expugnatio ad convalescentiam differenda est. — Proinde respicienda sunt:

a) Dispositio; sanguinis stagnationes, viscerum intumescuntiae, indurationes etc. solvantur, cui scopo idonea putantur extracta amara numerosa, ut extract. taraxaci, saponariae, graminis et alia; sales neutri, ut kali tartaricum, liquor kali acetici, tartarus natronatus. Humorurn stagnationibus in hepate respondere dicuntur: chelidonium, cicuta, digitalis purpurea, antimonialia et mercurialia, tam ore accepta, quam in unguentorum et emplestrorum resolutivum formam redacta. *Thilenius* ¹⁾ stagnationibus sanguinis in venis abdominalibus aquam lauro-cerasi optime mederi asserit, cujus primum guttas X, deinceps guttas XXX — LX, imo drachmam unam vel duas clysmatibus adjiciendas, sub finem curationis ferrum propinandum censet.

¹⁾ Medicin. und chirurg. Bemerkungen 1789.

b) *Suppressae haemorrhagiae*, ut menstrua vel haemorrhoides. Proximum est, ut restituantur, omnia autem acria, aetherea, pellentia sic dicta, cautissime vitentur. Majoris enim emolumenti sunt: hirudines ano aut genitalibus applicatae, pediluvia tepida, vapores calidi, enemata emollientia; ad usum internum sulphur et tartarus depuratus respondent. Venae sectiones revulsivae in extremitatibus inferioribus institutae, quoties prodromi haematemesis et signa congestionum sanguinis ad ventriculum apparent, saepe egregie opitulantur.

c) Exploretur necesse est num *vomitus cruentus symptomata exhibeat status putridi, scorbutici* etc.; quod si est, curationem hisce morbis adaptari oportet.

d) Num pendeat haematemesis a causis localibus, quarum efficacia inimica possit deleri. Hirudines devoratae interficiantur largiori aquae salsae potu, metalla caustica desoxydatione quam validissima, imperata aqua saponata, aut kali carbonico, aut kali sulphurato ita coërceantur, ut effectum minorem exerant; canalis cibarius lacte, vel mucilagineis potibus involvatur; ulcera, scirrhi et carcinomata ventriculi artis lege curentur.

Altera indicatio in eo est, ut morbus ipse evetatur.

Quodsi causae submoveri nequeunt, aut vomitus cruentus, iis sublati, non cedit, morbus curandus est:

a) *secundum indolis*, quam prae se gerit, *varietatem*. Synochae naturam modo exhibet in viscerum abdominalium inflammationibus, praesertim splenitide; quibus in casibus methodus antiphlogistica,

loci ratione habita, in usum vocanda est. Haematemesis cum crethismo, suppressis haemorrhagiis exorta, saepe sanguinis detractiones requirit; interne, teste *P. Frank*, succus punicae granati est imperandus, generatim potus aciduli, refrigerantes. Ad depressendam morbosam vasorum irritabilitatem et actionem, nec non vomenti incitamentum demulcendum, extractum hyosciami, aqua laurocerasi, tinctura digit: purpureae prosunt. Quodsi opio utimur enematibus aperientibus et oxymelle simplici alvum solvamus necesse est. Ubi vomitus cruentus paralyisi originem debet, remedia adstringentia, tonica, flagitantur, ut acida mineralia, natrum muriaticum ¹⁾, serum lactis aluminosum, decoctum chinae, quibus remediis *P. Frank* alcohol cum aqua et saccharo, *Adair* ²⁾ oleum terebinthinae, cujus X guttae cum vitello ovi et aqua in emulsionem redigantur, adji-cienda censent.

b) Secundum symptomata gravissima, i. e. haemorrhagiam et vomitum. — Contra haemorrhagiam styptica efficacissima administrentur, ut fomenta ex aceto, alcohole vel merum, vel aqua remixto regioni epigastricae superimposita, glacies, nives, eidem regioni superdatae.

Aeger quam minime animi deliquio committatur, vigilia sustineatur idque dispiciatur, ne sanguis eructatus in ore coagulet atque accumuletur eoque

¹⁾ *B. Rush* medic. Bemerkungen u. Beobacht., übers. von *Michaelis*. Leipz. 1792. p. 207.

²⁾ *Sämmtl. auserl. Abhandl. z. Gebrauch f. pract. Aerzte*. Bd. XVI. p. 133.

modo suffocationis periculum moveat ¹⁾. Ad sedandum vomitum, qui non semper a solo sanguine in ventriculum effuso, sed saepe ab aucta nervorum gastricorum sensibilitate pendet, opium liquidum prodest; praeterea, ubi ructus et vomitio supra memorata materiaram acidarum, causticarum, locum habent, potio Riveri, vel cum vel sine opio; neque minus fomenta aromatica, vinosa, emplastra ad regionem epigastricam aromatica, cum opio et camphora, opitulantur. In genere aegrotum summae quieti indulgere atque cubile derelinquere non oportet.

Remedia styptica externa in duas classes dividi possunt:

a) *Remedia revulsiva*, si morbus activus et causarum ratio intuenda est. Hujus generis sunt venaesectiones in artubus inferioribus institutae, hirudines ano aut genitalibus impositae, pediluvia tepida, fomenta calida pedum, frictiones eorum.

b) *Styptica directa*, ut fomenta ex aceto, acido sulphurico, glacie et nivibus ad epigastricam regionem administrata. His praecipue locus est in haematemesi paralytico, aut si vigente nimio erethismo metus exstat, ne mors irruat per haemorrhagiam; etenim sanguinis profusionem per momentum sedantia, vehementiam ejus adaugent.

Distinguenda etiam est haematemesis *curatio inter et post insultum*.

a) *Inter insultum*. Medicamenta aegrotis tantum liquida sunt exhibenda, guttatim quidem, si

¹⁾ P. Frank a. a. O, p. 219.

licet, non ultra cochlear minus singulis vicibus, ne ventriculum obruant. Aeger abstineat a potu, aut, si inexpugnabilis urget sitis, modo potulenta acidula, refrigerantia hauriat. Vitentur etiam nutrimenta solida, cubile frigidiusculum sit, tegminibus magis, quam pulvinis stratum, summa quies concilietur corpori.

b) *Post insultum.* Regimen in genere idem esse oportet, quod inter insultum: viribus prostratis vomituque feriente, jusculum carnis cum vitello ovorum praebeatur, sin minus, potus aciduli, serum lactis acidum, alumine aut acido sulphurico confectum, lac ebutyratum. Tubus intestinalis imprimis, si alvi obstructio exstat, clysmatibus ex aceto et aqua, aut oxymelle paratis, sanguine coagulato liberetur. Eidem scopo, nisi virium prostratione vetentur, laxantia acidula leviora, ut pulpa tamarindorum, tartarus depuratus, serum lactis, electuarium lenitivum et alia inserviunt. Sales irritantes omnes exactissime sunt vitandi.

Tertia medendi indicatio ad convalescentiam spectat morbosque secundarios, si qui sint exorti.

Debilitas ingens haematemesi superstes singulari attentione digna est, quippe quae causam constituere possit hydropis aliorumque malorum. Quum digestionis organa vomitus cruenti sedem habeant, plurimum cautelae et providentiae impendendum est diaetae.

Victus levis sit, eupeptus, sed nutriens, ut carnis jusculum, mucilagines, vitellus ovorum, omnia solida, initio saltem, arceantur; serius demum panis albus et caro alba suppeditentur. Alimentorum quantitas parca, sed iteratis vicibus assumatur.

Medicamenta interna ex herbarum acidularum classe desumantur ipsisque cibis aliquid succi citrini ad-
jicere expedit. Praeterea medici extractum chinae
frigide paratum, elixir vitrioli Mynsichti, tinctura
cinnamomi temperatum, commendant.

Ab aegroti regimine maxima corporis quies
animique securitas nunquam absit; serius demum
exercitatio modica est largienda, eamque passivam
magis quam activam esse oportet; quo commodior
sit activa, aegroti habitent ruri.

Ubi causae occasionales vomitus cruenti in
morbis corporis chronicis positae sunt, stadium
convalescentiae ad hos debellandos aptissimum est.
Sin vero, irritis medici conatibus, vel neglecto per-
peramve curato morbo, tabes aut cachexiae, ut
phthisis pituitosa, chlorosis, hydrops nascuntur, vel
inflammatio ventriculi chronica et periculosa vaso-
rum, quae sanguinem profuderunt, ulceratio rema-
net, curatio ad praecepta therapiae communia et
singularia conformetur, necesse est.

V I T A.

Ego, CAROLUS GUILIELMUS LINCKE, septimo M. Octobris die A. millesimo octingentesimo sexto Schoenebeci non procul a Parthenopoli natus, confessioni evangelicae addictus, patrem habui ejusdem oppidi Chirurgum, matrem DOROTHEAM, de gente ARNDT, quos dilectissimos parentes morte ereptos maxime lugeo. Usque ad annum decimum tertium in schola urbis patriae institutus, ad Gymnasium Parthenopolitanum profectus, per tres annos literis et linguarum studiis operam navavi; anno millesimo octingentesimo vicesimo tertio Berolinum me contuli, ibique pridie Idus Maji a Cel. RAUMER, fascis academicos tunc temporis tenente, civibus academicis adscriptus et a viro Illustr. LINK, Decano spectabili, inter medicinae studiosos receptus sum.

Triennio elapso, chirurgi militaris inferioris munus in exercitu Borussorum suscepi; verno tempore anni millesimi octingentesimi vicesimi noni Berolinum revocatus et alumnis Instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani in unum et dimidium annum adsociatus sum. Per omne studiorum tempus hos viros celeberrimos de variis disciplinis disserentes audivi:

Cel. TURTE de chemia, pharmacia et physice; Cel. MITSCHERLICH de chemia; Illustr. LINK de botanice et naturali historia. Illustr. RUDOLPHI encyclopaediam medicam, anatomiam theoreticam, sensuum organorum et foetus, nec non physiologiam; Illustr. KNAPE osteologiam, syndesmologiam, splanchnologiam et medicinam

forensem; artem cadavera secandi Illustr. KNAPE et RUDOLPHI me docuerunt. Cel. SCHLEMM de anatomia universa; Illustr. FR. HUFELAND de pathologia generali et semiotice; Illustr. W. HUFELAND de semiotice; Illustr. WAGNER de pathologia et therapia generali et materia medica; Cel. OSANN de materia medica; Cel. JUENGKEN de chirurgia generali atque speciali, de oculorum morbis et Acologia; Illustr. KLUGE de chirurgia, ossibus fractis et luxatis, fasciis applicandis, akiurgia et arte obstetricia tam theoretica quam practica; Illustr. RUST de morbis syphiliticis, de cursu operationum chirurgicarum, chirurgia generali atque speciali; Cel. CASPER de arte formulas medicas concinnandi et medicamina parandi, nec non de infantilium morborum curatione; Illustr. HORN de pathologia et therapia speciali, morbis mentis ac syphiliticis mihi praeceptores contigerunt.

Institutionibus clinicis medicis Cel. WOLF, chirurgicis et ophthalmiatricis Generosiss. DE GRAEFE et Illustr. RUST interfui.

Tentaminibus philosophico et medico, nec non examine riguroso coram gratioso medicorum ordine feliciter exantlatis, dissertatione thesibusque publice defensis, non dubito, quin summos in utraque medicina honores rite impetraturus sim. —

THESES DEFENDENDAE.

I.

Respiratio praecipuum offert caloris animalis fontem.

II.

Rubeolas varietatem scarlatinae esse, contendo.

III.

Arthritis morbum sui generis constituit cum rheumatismo minime confundendum.

IV.

Muci et puris criteria incertissima sunt.
